Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-242569-p0001-3

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VI-28.
SIGNAT. CIↃIↃCCCXIII.

בְּרוֹשׁ רַעֲנָן

H. E.

ABIES VIRENS SYMBOLVM DEI

HOS. XIV. 9.

CONSENSV AMPLISSIMI
PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN ACADEMIA LIPSIENSI
PVBLICA DISSERTATIONE
H. L. Q. C.
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
PROPOSITA
PRAESIDE

M. SIGISM. ANDREA Flaßß
S. TH. BACCAL. ET FAC. PHILOS. ASSESSORE
ET
RESPONDENTE
CHRIST. ERNESTO FRIDER. MVLLERO
HILDBVRGHVSA-FRANCO.

D. XX. JAN. MDCCXXXI.

LIPSIAE, LITERIS SCHEDIANIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-242569-p0003-4

Beroš ra'anan

Universitäts- u. Landesbibliothek Sachsen-Anhalt Halle/S.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-242569-p0004-0

§. 1.

Uae insigne quondam Vitembergensis Academiae decus, b. SALOMON GESNERVS, in *praefatione Commentarii sui in Hoseam p.* 17. scribit: *Hoseam canonica autoritas facit* ἀξιόπιστον, *doctrinarum sublimitas* ἀξιοθαύμαστόν τε καὶ ἀξιοτίμητον, *ordinis perspicuitas* ἀξιοκρόατον, *cum nostra denique aetate conformitas* ἀξιεπιθύμητον καὶ ἀξιομνημόνευτον; ea omnia ita quidem sunt comparata, ut plenam fidem a quouis ingenuo literarum sacrarum aestimatore impetrent sit necesse. Quis enim *Encomium Hoseae.*

enim Vati huic ejusque scripto deroget *canonicam auctoritatem*, cum adsint luculentissima Christi & Apostolorum testimonia, qui illum in noui fœderis tabulis plus simplici vice, uti v. c. Matth. II. 15. IX. 13. XII. 7. Luc. XXIII. 30. Rom. IX. 25. 1 Petr. II. 10. 1 Cor. XV. 54. tanquam diuinitus inspiratum Dei nuntium excitarunt, satis clare hoc ipso docentes, quod Hoseæ nostro manifesta dignitas competat, quae & normatiua sit doctrinae, & per hanc quoque caussatiua assensus fidei, ἀξιοπιστία alias appellata? Quis porro non deprehendat *doctrinarum in eo sublimitatem*, utpote qui c. I. 7. & c. XII. 2. dogma de sacro-sancta Trinitate, vel ipso cœco Judaeo, R. JONATHA *in Targum*, agnoscente, haud obscure exprimit, & de persona Christi, ejusque passione, resurrectione, & glorioso triumpho c. III. 5. XI. 1. XIII. 14. tam praeclare vaticinatur, immo c. II. 19. 20. unionem fidelium cum Christo mysticam, de qua diuus Paulus: Τὸ μυστήριον τοῦτο, exclamat, μέγα ἐστὶν, *Ephes.* V. 32. egregiis maxime ac jucundis proponit verbis, ut adeo, omni admiratione ac veneratione qui excipiatur, dignus utique sit reputandus? Nec est, ut aliquis forsan *ordinis* in eo *perspicuitatem* desideret, quandoquidem commode dispesci potest, vel cum PAREO in septem conciones, quarum prima c. 1. 2. secunda c. 3. tertia c. 4. quarta c. 5. 6. 7. quinta c. 8. 9.

10. sexta c. 11. septima c. 12. 13. 14. contineatur, vel cum b. GESNERO in quatuor partes, nimirum in propositionem c. 1. explicationem c. 2-12. objectionum refutationem c. 12. 13. & conclusionem c. 14., vel cum JO. WINCKELMANNO, per διχοτομίαν, in praedictionem euersionis regni Israëlitici et piorum consolationem, quam διχοτομίαν etiam b. PAPPVS, et, qui ejus vestigia hac in parte premit, J. HEINR. HEIDEGGERUS in *Enchirid. bibl.* p. 197., uterque vaticinium Hoseae in conciones typicas c. 1. 2. 3., et simplices, seu typis non inuolutas, c. 4.-14., diuidens, nec non b. TARNOVIVS per illius distinctionem in conciones legales c. 1-11. et evangelicas c. 11-14. adhibuerunt. Et quamuis quidem dissimulari non possit, fatentibus his ipsis aliisque interpretibus, accuratam, cujus membra omnia exacte sint distincta, oraculi hujus Prophetae diuisionem vix expectandam esse, cum subinde inter se mista appareant, quae a se invicem sejungenda crederes, ut ideo b. LUTHERO *in german. praefat.* visum sit, fragmenta tantum praecipuarum sententiarum, non integram ejus extare prophetiam; attamen prudens & attentus lector facile perspicit, quodnam eorum, quae proferuntur, tanquam praecipuum in sermone prophetico argumentum, cujus modo illustrandi, aut confirmandi, aut amplificandi gratia re-

liqua locum invenerunt, dominetur, hujusque iterum beneficio, quomodo membra principaliora semet inuicem excipiant, intelligit, ex quo non potest non ordinis perspicuitas, qualis quidem in Prophetis quaerenda est, nostroque Hoseae nomen illud honorificum, quod sit ἀξιοκρόατος et jure meritoque audiendus, enasci. Quod vero spectat ad *conformitatem cum nostra denique aetate*, recte id, quod de omnibus Prophetis, quod videlicet illi, cum statum veteris populi depingant, nobis pariter dilucidum speculum proponant, in quo, ecclesiae veteris faciem contuentes, similitudinem quandam & figuram ejus, quae in haec postrema tempora incidit, ecclesiae cognoscamus, de nostro Hosea inprimis pronuntiandum est, quippe qui eosdem fere mores in Israëlitis, qui in nostris hominibus offenduntur, peruersos taxat, iisque, nisi vera seriaque poenitentia intercedat, grauissimas minatur poenas, ut proinde, cum jam b. TARNOVIVS in *praefat. Comment. sui in hunc Prophetam*, seculo abhinc propemodum, hanc conformitatem cum sua aetate agnouerit haecque nos, progeniem non meliorem, sed vitiosiorem, dederit, εἰς ὃς τὰ τέλη τῶν αἰώνων κατήντησε propius, 1. Cor. X, 11., liber Hoseae nobis hoc corruptissimo et exulcerato aeuo desideratis-

deratissimus esse, et fideli memoriae tradi, immo penitus imbibi debeat.

§. II.

Dictum Hoseae dissertationi destinatum.

Cum vero diuinus Vates stylo utatur conciso, adagiis et sententiis referto, pluribusque instructo πάθεσι, nec adeo perspicuo et plano, (quamuis hoc ipso, absit, ut Pontificiorum injuriae in Spiritum S. sententiae de obscuritate scripturae sacrae, ullo modo frigidam suffundere velimus,) ut ea propter HIERONYMVS praef. in XII. Proph. T. IV. Opp. f. 12. *Osee* scribat, *commaticus est, et quasi per sententias loquens*, neque minus DRVSIVS *in praefat. in notas suas in Hos.* haud abs re obseruet, *dictionem Hoseae obscurissimam esse*, cum quibus etiam summe Reuerendus J. GOTTL. CARPZOVIVS in *Introduction. ad libr. biblic. V. T.* P. III. §. IV. p. 279. 280. facit; mirum non est, Interpretes, qui omnes fere hac de re conquesti sunt, passim hallucinatos, nec in omnibus genuinum Prophetae sensum assecutos esse. Exempli loco in medium producimus comma 9. Cap. XIV. curatiori paulo meditationi subjiciendum, cujus verba ita habent:

אֶפְרַיִם מַה־לִּי עוֹד לָעֲצַבִּים אֲנִי עָנִיתִי וַאֲשׁוּרֶנּוּ
אֲנִי כִּבְרוֹשׁ רַעֲנָן מִמֶּנִּי פִרְיְךָ נִמְצָא׃

Circa hoc dictum ante omnia audire juuat, quid alii ſenſerint, ſiue illi verſiones adornarint, ſiue interpretationibus ſuis lucem textui accendere ſint conati. Deinceps vero noſtram ſententiam et explicationem ſubjungemus, rationibus ſuis corroboratam, ex qua ſimul patebit, quid de quauis verſione et interpretatione, quam eam ob rem absque omni addita ἐπικρίσει dimittere, et recenſere ſolummodo ſufficiet, ſtatuendum ſit. אנא יהוה הצליחה נא

§. III.

Verſiones ejus, & quidem

1) *Chaldaica*

Si igitur ab initio *verſiones* conſulamus, offert ſe nobis primo loco *Chaldaica*, quae verba Prophetae in hunc modum translata exhibet: יֵימְוּן דְּבֵית יִשְׂרָאֵל מָה לָנָא עוֹד לְמִפְלַח לְטַעֲוָתָא אָנָא בְּמֵימְרִי אֲקַבֵּל צְלוֹתְהוֹן דְּיִשְׂרָאֵל וְאֶרְחַם עֲלוֹהִי אָנָא בְּמֵימְרִי אֲעַבְרִנֵּיהּ כְּבִירְיָן שַׁפִּירָן דְּמִן קֳדָמַי סְלִיחַ לִתְיוּבַתְהוֹן מִשְׁתַּכְּחָא:

2) *Graeca*

Succedit *Græca* τῶν ἑβδομήκοντα, quæ comma iſtud ita reddit: Τῷ ἐφραΐμ. τί αὐτῷ ἔτι ϗ εἰδώλοις; ἐγὼ ἐταπείνωσα αὐτὸν, καὶ κατιχύσω αὐτόν. ἐγὼ ὡς ἄρκευθος πυκάζουσα, ἐξ ἐμοῦ ὁ καρπός σου εὕρηται. Hanc excipiunt

3) *Latinae*

Latinae, veluti JVNII & TREMELLII, in qua textus praeſens ſic legitur: *Ephrajim, quid mihi amplius*

cum

cum terriculis? ego exaudiam et contemplabor eum, ego sum tanquam abies virens, ex me fructus tuus praesto est. Item OSIANDRI, qui Hoseam ita Romano ore loquentem sistit: *Ephraim, quid mihi ultra idola? ego exaudiam et dirigam eum, ego ut abietem virentem*, ero, quasi abies virens; *ex me fructus tuus inuentus est.* CASTELLIONIS, qui sequentem nostri dicti concinnauit translationem: *O Ephraimita, quid mihi amplius rei est cum simulacris? Ego eum exoratus respiciam, ego virentis pinus similis, ex quo eodem me fructus tuus exstat.* Quod ad vernaculam Megalandri nostri, b. LUTHERI, versionem attinet, duplicem inuenio, alteram in ejus operibus, quae cura Magnifici BOERNERI, Patroni nostri maximopere colendi, hic Lipsiae jam denuo nitidissime in lucem prodeunt, P. VIII. f. 145., alteram in Bibliis nostris germanicis. Illa, quae vulgatam refert, hoc modo instructa comparet: *Ephraim, was sollen dir weiter die Gætzen? Ich will dich erhören und führen. Ich will seyn wie eine grünende Tanne, von mir soll deine Frucht kommen.* Haec, quae propria ejus est versio, sequentibus verbis concepta est: *Ephraim, was sollen mir weiter die Gætzen? Ich will ihn erhören und führen. Ich will seyn wie eine grünende Tanne, an mir soll man deine Frucht finden.* Si ad plures descendere lubet ver-

4) *Vernacula b. LUTHERI*

5) *Gallica* versiones, *Gallica* sic habet: *Ephraim* dira: *Qu'ai je plus a faire avec les faux dieux? Je l'exaucerai, & le regarderai, je lui ſerai comme ſapin verdoyant, ton*
6) *Anglica* *fruit ſe trouve de ſur moi.* Neque minus *Anglica* ita comma noſtrum reddit: *Ephraim* shall ſay, *what haue I do to any more with idols? I haue heard* him, *and obſerued him: I* am *like a green firtree, fromme* is *thy fruit found.* Reliquas tacemus.

§. IV.

Interpretationes ejus, & quidem,

1) *Rabbinorum,* uti

2. *Raſchi*

Sed inſtitutum nunc poſcit, ut ad interpretes quoque pedem promoueamus, qui doctiſſimis ſuis commentationibus ſenſum dicti Prophetici eruere et explanare ſtuduerunt. Hos inter primum ſibi locum vindicant Judaeorum doctores, Rabbini, e quorum numero tres tantum, eosque primicerios, adducere placet. Primus eſt RASCHI, qui ad locum noſtrum ita: אפרים יאמר מה לי ללכת אחרי העצבים וישוב ממ"ד אני אענהו מצרחו ואשורנו אראה בענין אני כברוש רענן אני לך נכפך להיות אוחז ידו בי כברוש רענן הנכפף לארץ שארם אוחז בענפין כלומר אחיה מצוי לי ממני פריך נמצא / והלא אני הוא שכל טובתך מאתי באה: Hoc eſt: Ephraim ſc. *dicet, quid mihi amplius proderit ſimulacra ſequi? et recedet a cultu idololatrico (alie-*

(alieno). *Tunc ego respondebo ei (exaudiam eum) ex angustia ejus.* Et contemplabor eum, id est, *inspiciam calamitatem ejus.* Ego tanquam abies virens, q. d. *Ego erga illum incuruatus (ero,) ut manus ejus (seu manu sua) me apprehendere (attingere) queat, tanquam abietem virentem incuruantem sese versus terram, cujus ramos homo (aliquis) possit attingere, vult dicere: Ero ipsi praesentissimus.* In me fructus tuus inuentus est, h. e. *Nonne enim is ego sum, a quo omne bonum tuum promanat?* Secundus est R. ABEN ESRA men- *b. Aben Esrae*
tem suam de dicto nostro in hunc modum aperiens:
אפרים, כאמרו אפרים מה לי עוד, אין לי צורך אליהם
אני אענהו לתת לו כל חפצו כדרך קהלת י' ו'ט
וחכסף יענה את הכל: ואשורנו, לתת עינו לטוב
עליו עד שאשורנו נמצא שיחיה כברוש רענן, ואל
תפחד בעבור שאין לו לברוש פרי כי ממני פריך נמצא:
Hoc est: Ephraim, *i. si dixerit Ephraim*: Quid mihi amplius etc. *Nulla mihi utilitas apud illos (deastros;) tunc ego prospiciam ipsi, ad dandum (implendum) ei omne desiderium ejus, juxta illud Eccles. X. 19. Et argentum omnia comparare solet.* Et contemplabor eum etc. *Ad ponendum oculos meos ad id, quod bonum ipsi est, usque dum, talem ipsum factum esse, videro, ut similis sit abieti virenti. Nec animo turberis propterea, quod non*

ipsi, abieti scilicet, sit fructus; nam in me fructus tuus in-
uenitur. Tertius est R. DAV. KIMCHI, cujus haec ad
praesens comma Prophetae extat obseruatio: /אפרים
ואז יאמר נ"א יאמרו אפרים מה לי עוד לעצבים כי בעוד
שהיתי עובד אותם היה לי כל הרע ועתה שאעבוד את
ה' יהיה לי כל הטוב הזה. ויאמר הקב"ה כשיאמר אפרים
זה אני עניתי ואשורנו/ כלומר אביט אליו בעת רצון
הפך הברים ל"א י"ר ואסתרתי פני מהם. ומה אומר
לו אני בברוש רענן/ אני אהיה לך כמו ברוש רענן
שכופפין ראשו אצל שרשיו כן ישעיה נ"ן מ"ו אני מרום
וקדוש אשכון ואת דכא ושפל רוח. ואם תאמר הברוש
אינו עושה פריות ממני פריך נמצא בכל עת ובכל זמן:
Hoc est: Ephraim, q. d. *Et tunc dicat, (al. lect. dicant,) Ephraim: Quid mihi amplius emolumenti apud deastros? Nam hactenus, dum eos colui, accidit mihi omne illud malum; jam contra, si coluero Jehouam, accidet mihi omne illud bonum. Tunc sanctus benedictus ille, (Deus,) postquam Ephraim talia dixerit, dicet: Ego respondebo ipsi, & respiciam ipsum; vult dicere: Respiciam ad illum tempore isthoc volantate ab illa Deut. XXX. 17. Et abscondam faciem meam ab illis, plane diuersa. Et quid porro dicit ad illum? (R.) Ego sum sicut abies virens; Ego ero tibi instar abietis virentis, cujus verticis rami ad radices suas sese incuruant; Ita (scil.* di-

e. Dav. Kimchi.

dicitur) Jes. LVIII. 15. Ego elatus et sanctus habitabo, habitabo inquam, apud contritum & humilem spiritu. Et si dixeris: Abies non profert fructus; (R.) in me fructus tuus inuentus omni omnino tempore.

§. V.

Haec sunt Rabbinorum dicti nostri expositiones, a quibus nunc ad christianos interpretes progredi liceat, ubi merito agmen ducit purioris doctrinae restaurator, diuus LVTHERUS. Hic, loco supra §. III. citato, in textu nostro statuit egregium vereque propheticum πάθος, quo Hoseas per enumerationem beneficiorum noui Testamenti, & τῦ πληρώματος τῆς χάριτος in Christum credentibus obuenturae incensus loquatur. Deinceps tria membra hujus textus constituit, ad quae reliqua omnia redeant. Nimirum *primo* dicit hic reperiri adhortationem ad veram conuersionem ab idololatria, quae argumento a vano et inutili petito nitatur. *Secundo* pergit addi promissionem diuinae gubernationis et protectionis, ubi vocem שחר ex Hos. XIII. 7. et Jer. V. 26. illustrat, aitque, idem illud notare, ac *diligenter & accurato studio aliquid obseruare*. *Tertio* de fructibus agi docet, ad instar verborum Christi: Ἐγώ εἰμι ἡ ἄμπελος, ὑμεῖς

2) Christianorum, quos inter.

a. Lutherus

τὰ κλήματα. Καθὼς τὸ κλῆμα δύναται καρπὸν φέρειν ἀφ' ἑαυτοῦ, ἐὰν μὴ μείνῃ ἐν τῇ ἀμπέλῳ. Οὕτως οὐδὲ ὑμεῖς, ἐὰν μὴ ἐν ἐμοὶ μείνητε. Jo. XV, 4. sqq. Quos fructus tamen monet non esse opera fictitia et hypocritica, sed veram Dei agnitionem, sinceram obedientiam erga legem, et vitam aeternam, quae omnia Dominus testetur in se inuentum iri, ut adeo nostrum liberum arbitrium, nostra mens, ratio, voluntas, exercitia, etiam optima, si sola sint absque Spiritu S., cum arbore sterili comparari mereantur, in qua nullus fructus reperiatur, cum ex aduerso credentes in Christum Spiritum S. in se habeant et experiantur efficacissimum, ut verbo diuino obediant, et fructum fidei suae, vitam aeternam, consequantur. Vestigiis Theandri insistit JO. WINCKELMANNVS in Comm. in Hos. p. 171. qui, hortari Dominum in hoc versu populum, scribit, ut consideratione tam magnificarum promissionum, quae in praecedentibus proponuntur, idololatriam abjiciat, et promittere exauditionem precum, gubernationem per verbum, defensionem et omnia necessaria. Inprimis vero ad verba: *Ero quasi abies virens*, sequentia commentatur: *Abies semper viret. Notatur ergo protectio contra iram Dei, viuificatio, conseruatio. Quia autem abies est infrugifera, additur: Ex me*

b. *Winckelmannus*

me tuus fructus inuentus est. Nisi quis manserit in me, inquit Christus, fructum non fert. Nec disparia habet SALOM. GESNERUS in Comm. in Hos. p. 524. c. qui, epiphonemate pulcherrimo suum librum concludere Hoseam, declarat, per exhortationem, cujus duae sint particulae, quarum altera sit *specialis*, altera *generalis*. *Specialem* directam esse, inquit, ad populum Israëliticum, quem Vates noster denuo loco Dei ex abundantia amanter oret, ut idololatriam abjiciat, idque duobus adhibitis argumentis, uno ab inutili seu damno, ut dicere velit: *O Ephraim, quid mihi jam amplius jactitas tua idola? Quid ab illis habes emolumenti? Quomodo illa vel meo cultui comparare, vel etiam praeponere audes? Nonne illa te perdiderunt, et interitus tui caussa sunt?* altero autem ab utili et emolumento, dum Deus pergat: *A me habes omnis generis bona*, quorum summa in istis tribus contineatur, nempe 1. *in paterna et gratuita precum exauditione in calamitatibus*, 2. *in protectione et gubernatione*, 3. *in fructificatione*, ut verborum: *Ego tibi sum instar abietis perpetuo virentis*, sensus sit: *Ego tibi sum frondosa et fructifera arbor, quae uberrimis fructibus meis te nutrio et sustento, foliis quoque ac ramis adversus vim tempestatum protego.* JO. TARNOVIVS in Comm. in Hos. p. 495. seq. existimat, Ephraim ad promissiones Dei longe amplis- *c. Gesnerus* *d. Tarnouius*

simas sibi factas repetere prius v. 2. 3. datam obedientiae et fidei suae sponsionem, cui Deus vicissim gratiam suam repromittat. Esse autem hic statuit ellipsin verbi *dicet*, ut sensus sit: Quum sibi tantum bonorum a Deo obtingere audiet, et in memoriam malorum ob idololatriam sibi immissorum ac denuntiatorum regredietur *Ephraim*, se ipsum quasi corrigens, *dicet*: *Quid mihi amplius et quid idolis*? Nihil mihi cum illis deinceps rei erit, uti hactenus fuit; ut adeo non ipse Deus, cui nunquam cum idolis aliquid fuerit commune, sed poenitentes Ephraimitae haec loquantur, omnemque ita cultum idololatricum detestentur, ac Deo se adhaesuros esse firmiter promittant. Hac vero re ita Deum delectari pergit, ut quatuor promissiones reponat, et stipuletur 1. *precum exauditionem*, 2. *paternam directionem*, 3. *diuinam protectionem*, 4. *summam benedictionem*. Quod ad *precum exauditionem*, promitti illam contendit in voce *respondi*, quae phrasi Hebraea secundum, Ps. III. 5. IV. 1. idem valeat ac *certissime exaudire*, praeterito pro certissime futuro, uti supra Hos. XI. 1., posito. Quantum vero ad *paternam directionem*, promissionem ejus per apostrophen ad ipsa idola directam proferri, dum Deus dicat: Vos deastri opus, qui vos seruet, habetis, et nullum homi-

hominem servare aut protegere potestis, ego autem jam a vobis abstinentem et mihi se dedentem Ephraimum intentis oculis respiciam, eum sedulo contemplabor. *Diuina protectio* ex mente Nostri promittitur in verbis: *Ego sum ipsi tanquam abies virens*, ubi, sicut abies perpetuo floret, praestatque viatori, in aestu gratissimam umbram, sic quoque Deus polliceatur, se Israëlem poenitentem fovere, nec unquam prouidentiam suam subtrahere, sed sub aestu calamitatum, quibus ab Assyriae et Syriae Regibus premendus sit, protegere et recreare velle. Et tandem *fructificationis* promissio Nostro in ultimis verbis latet: *In me fructus tuus inventus* est, quibus Deum nihil aliud innuere, quam haec, arbitratur: *Et ne dicas, abies est infrugifera, licet sit arbor procera, ampla, et opaca, subjicio, me tibi non itidem fore infrugiferum, quia ex me, et me procurante, fructus tuus inuentus est, seu existit, quum ego tibi omnes illas vires suppeditem.* At SEB. SCHMIDIUS in Comment. ad h. l. aliam viam ingreditur, dum, postquam praecedentem versum de conuersis ex gentilissimo exposuit, etiam hujus verba iisdem attribuit, et quidem hoc modo: *Ephraim*, sc. dicet conuersus ad umbram Israëlis, *quid mihi* commercii *sit amplius cum idolis*? ut adeo ita cultus idolorum.

c. *Sebast. Schmidius*

lorum et confidentia in illis abnegetur. *Ego*, conversus gentilis, Domino gratiose vocanti *respondi, & cantabo eum*; *Ego* etiam nunc *sum et ero, sicut abies virens*, ubi non tam virorem foliorum, quam humorem et sanitatem, seu robur arboris considerandum esse censet laudatus Interpres, ut proinde hoc ipso sibi gentilis fidelis robur spiritus et fidei constantiam promittat; *Ex me* etiam, tanquam conformi fratre, qui in communione, sicut fidei, sic etiam fructuum ejus stat, *fructus tuus* in operibus fidei et caritatis *reperitur*. Nec silentio praetereundus est summe Rever.

J. Zeltnerus GEORG. GUSTAV. ZELTNERUS, qui in Bibliis Altorfinis germanicis, quae accurante ipso cum variis doctissimis celeberrimi hujus Theologi annotationibus nuperrime lucem aspexerunt, hanc dicti nostri παράφρασιν dedit: *Ephraim (ich will dir rathen, sage Gott zu, aus busfertigem Hertzen): Was soll ich weiter mit den Goetzen machen? Ich mag nichts weiter damit zu schaffen haben: So wird Gott alsdenn antworten: Ich will über sie (d. i. ihrentwegen, wenn sie sich bekehren) singen, und mit Freuden gegen andere (nach Orientalischer Art, da man Chor-oder Wechsel-weis pflegte zu singen, wie aus der Historie Mirjam bekandt) im Gesang auch antworten (Was aber? Ohne Zweifel, was folget): Ich will seyn, wie eine grüne Tanne, von mir*

soll

soll man wieder Frucht an dir antreffen. Et hos quidem adduxisse sufficiat interpretes. Quae caeteri a religione nostra disidentes, veluti CORN. a LAPIDE, JO. PISCATOR, DAV. PAREVS, JO. DRVSIVS, EDUARD. POCOCKIVS, JO. CROCIVS, JO. MARCKIVS, aliique afferunt, vel parum noui ab his, quae dicta sunt, vel parum commodi & proficui nobis in sensus verborum nostrorum indagatione, continent, uti ex parte constat ex *Bibl. Hebr. Halensib.* ad h. l.

§. VII.

Nunc vero tandem quod attinet ad nostram, si eam edisserere licet, sententiam, existimamus, idque cum plurimis Interpretibus, exhiberi in nostro loco uerba loquentis Dei, non ex gentilismo conuersi hominis, uti SEB. SCHMIDIVS arbitratur. Nam etsi quidem largimur, quod in antecedente versiculo praedictio conuersionis gentilium sub nouo Testamento longe copiosissimae contineatur, tamen nondum inde nos quaedam urget necessitas, ut ad tam duram confugiamus ellipsin, *'dicet conuersus gentilis,* sed longe simplicius rectiusque Deus, qui in praecedentibus omni dubio procul loquitur, in hoc quoque commate verba facere statuitur. Interea tamen et

Nostra sententia, et quidem 1) *de subjecto orationis*

nos admittimus aliquam ellipsin, verum non tam duram, sed sponte fluentem, praeeuntibus quoque ex versionibus Chaldaica, Syriaca, Gallica, Anglica, ex Interpretibus Rabbinis et ipso TARNOVIO, cum DRUSIO, PISCATORE, PAREO, aliis, nempe ellipsin verbi אמר, ut sensus integer sit: *Ephraim dicet*, aut *dicat*. Non igitur אפרים hic est casus appellandi, uti JVNIO et TREMELLIO, OSIANDRO, CASTELLIONI, LUTHERO, multo minus dandi uti Graecis visum est, sed nominandi, qui adeo aliquid supplendum esse indicat, id quod ex Accentu Sakeph gadol hanc vocem signante apparet. Alias quippe sequeretur, haec esse verba Dei Ephraimum alloquentis, sibique commercium cum idolis tribuentis, quod tamen nullum habet. Τίς γὰρ μετοχὴ δικαιοσύνῃ καὶ ἀνομίᾳ. Τίς δὲ κοινωνία φωτὶ πρὸς σκότος; τίς δὲ συμφώνησις χριστῷ πρὸς Βελίαλ; grauissime quaerit Paulus 2 Cor. VI. 14. 15. Equidem non ignoramus, sententiam de Deo Ephraimum alloquente ab interpretibus eidem addictis in hunc modum emolliri, ut contendant, Deum respicere ad commercium illud cum idolis, quod non reapse, sed ex Ephraimitarum imputate habuerit, dum ipsi falsos Deos ad latus quasi posuerint, ut sic Deus dicere velit: *Ephraim, noli mihi idola adjungere amplius, ego namque solus Deus sum,*

sum, tibique sufficientissimus. Sed nescio sane, an ita satis illi rem expediant, cum, si prius hemistichium cum posteriori sollicite conferatur, haud obscure patescat, Prophetam in principio nostri commatis argumentum a vano et inutili respectu idolorum tacite insinuare, quod omnino poscit, ut Deus non commercium suum, sed Ephraimi cum idolis accuset, quia ille, uti a nemine mortalium, ita multo minus a deastris infirmis, inanimatis, coecis et surdis lucrum aut commodum quoddam expectat, probe vero populus idololatricus, qualis erat Ephraimiticus, qui in illis omnem suam spem repositam habebat, omneque auxilium quaerebat, atque hac in re grauissime peccabat, prout ex tota Hoseae nostri prophetia eluceſcit. Ut vero ad ellipsin verbi אמר reuertamur, est illa, uti in aliis Scripturae veteris Testamenti libris, ita et in vaticinio Hoseae satis frequens, quemadmodum videre est C. V. 15. VIII. 1. XII. 4.

§. VII.

Subjecto itaque orationis, et quae ad illud declarandum pertinent, indicatis, ad ipsam verborum et phrasium curatiorem paulo expositionem deueniendum est, ut mens nostra eo clarius perspiciatur. אפרים erat alias nomen unius tribus, sed quia erat *2) de singulis vocibus et loquendi formulis*

tribus regia, denotat hic et alibi quoque ſynecdochice totum populum Iſraëliticum, qui ita ſub Jeroboamo et poſt ejus tempora per diſtinctionem a Judaeis et Benjaminitis audiebat, et Hoſea tanquam Propheta ad ſe praecipue diuinitus miſſo utebatur. Nec eſt, ut aliquis obiiciat, quod Ephraim et Iſraël c. V. 3. diſtinguantur, ubi quidem nonnulli per *Ephraim* proceres, per *Iſraël* autem populum totamque multitudinem intelligi putant, ſiquidem potius ibi unum per alterum explicari, eundemque populum diuerſis nominibus deſignari videtur. Hic adeo populus Iſraëliticus *dicat*, aut, quod aliis placet, *ſi dixerit*: מַה־לִּי עוֹד לָעֲצַבִּים *quid mihi amplius cum idolis?* Eſt phraſis loquens negationem commercii alicujus ſubjecti vel rei cum altero ſubjecto vel re cum hujus rejectione aut deteſtatione conjunctam, et in utriusque diſpari plane conditione et ratione fundatam, uti manſuetus Dauid cum iracundo Abiſai 2. Sam. XVI. 10. XIX. 22. pacificus Jephthah cum belli ſtudioſo Ammonitarum Rege Jud. XI. 12. ſanctus Vates cum foemina peccatrice 1 Reg. XVII. 18. populus afflictus et auxilium quaerens cum Regibus nullum praeſtare valentibus Jer. II. 18. (in quibus locis omnibus noſtra phraſis occurrit,) nihil commercii habebat. Ut taceamus, quae in oraculis noui Teſtamenti ad eundem modum

Jegun-

leguntur, in formula loquendi: Τί ἐμοὶ καὶ σοί; Matth. VIII. 29. Joh. II. 4. adde 2 Cor. VI. 16. quanquam non inde ſtatim Hebraiſmum elicere vellemus, cum Graecis quoque ita loqui in more fuerit poſitum, uti demonſtrat variis exemplis ERASM. SCHMID. *in not. ad N. T. f.* 164. Et ſic quoque populus Iſraëliticus ex Prophetae, vel potius ipſius ſummi Numinis, voto et deſiderio in vera et ſalutari poenitentia conſtitutus dicere debebat: *Quid mihi amplius rei cum idolis ſit? mihi populo veri Dei cum falſis Diis? mihi populo afflicto & auxilii indigo cum illis, in quibus ne minimum eſt auxilii? Nullum, nullum inter nos intercedit jure vinculum, quod nos uniat, ſed ingens diſparitas, qua merito diuellimur. Ergo quoque nullum amplius mihi cum illis ſit commercium. Mitto, rejicio, deteſtor idola, ſiue ſint caro, ſine truncus et inutile lignum, et ad ſolius Dei gratiam auxiliumque confugio*, ad ſententiam fere commatis 3. hujus capitis. Ex quibus apparet, a vero non aberrare interpretes illos, qui hic argumentum *a vano & inutili ex parte idolorum* latere ſibi perſuadent, quandoquidem diſparitas illa, quam populus Iſraëliticus inter ſe et deaſtros eſſe, agnoſcere, et confiteri, ſtimulique loco ad iisdem valedicendum ſentire debebat, inter alia quoque nititur fruſtranea ab illis expectatione

auxilii, quod tamen Israël necesse habebat, et omnibus votis expetebat. Immo non tantum futilitate idolorum populus iste ad abjiciendos factitios Deos commouendus, ipsique haec contrito spiritu indicanda erat, verum quoque consideratio et agnitio cultus eorundem molesti accedere debebat, adeo, ut Israël simul insinuet, tantum abfuisse, ut aliquid commodi et utilitatis hauserit ex inuocatione et cultu falsorum deorum, ut potius infinitis laboribus et doloribus obrutus plane et excruciatus fuerit. Ita enim placuit Spiritui S., ut hominibus idolorum rationem eo clarius exponeret, eadem in verbo diuino variis nominibus afficere, quorum quoduis indolem ipsorum peculiari modo exprimit et designat. Namque sic vocantur *a caussa efficiente* מַעֲשֵׂה יְדֵי אָדָם *opera manuum humanarum*, *a materia & forma* פְּסִילִים וּמַסֵּכוֹת *sculptilia & fusilia*, *ab effectu* denique אֱלִילִים *res nihili*, *quae nihil sunt atque valent*, *et* עֲצַבִּים *molestiam, laborem et dolorem creantia cultoribus suis*, idque *sine omni fructu*, quod ultimum hujus quoque est loci. Quapropter hoc ipso vocabulo Ephraim innuere debebat, praeter vanam expectationem auxilii ab idolis multum se percepisse incommodi absque omni fructu tolerati, (quae est merces idololatrarum, ut multa faciendo nihil proficiant, multa patiendo nihil potian-

potiantur,) ut proinde cum illis, oculis sibi per gratiam Dei illuminantem apertis, nullum in posterum habere commercium velit.

§. VIII.

Ad hanc Israëlis ingenuam propositi sui de emendanda vita, quale omnibus de peccatis suis dolentibus adsit necesse est, si tristitia ipsorum κατὰ Θεὸν esse, et μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον operari debet, declarationem, Deus, qui in vera seriaque poenitentia delectatur, egregiam reponit promissionem de *exauditione*, *protectione*, *omniumque bonorum corporalium aeque ac spiritualium largitione*. Primo promittit benignissimum Numen *exauditionem* dum ait: אֲנִי עָנִיתִי *tunc* (ו subintellecto) *ego exaudiui*, hoc est, praeterito propter certitudinem, more Prophetis admodum familiari, pro futuro posito, *ego exaudiam certissime*. Ephraim modo dicat ita animo sincero propositique sui tenace, sane dum adhuc loquitur, ego eundem exaudiam, Jes. LXV, 14., ut finita quasi tam salubri declaratione, vel intra animum vel ore suo, me eum jam exaudiuisse sentiat. Pollicetur itaque Deus pœnitenti populo exauditionem precum, eamque sine mora ac certissimam, quam hactenus ipsi

ob

nefaria peccata et idololatriam turpisſimam denegauerat. Num quod Graecis, Syro, Arabi, aliisque hic in mentem venit, ac ſi vox עָנָה in ſignificatione *humiliandi*, *affligendi*, quam alias illam ferre non negamus, et loca Pſ. XVIII. 36. 1 Reg. VIII. 35. teſtantur, occurrat, cum contextu non cohaeret, et inprimis minime cum abiete conſpirat, ſub cujus ſymbolo ſe hic Deus populo Iſraëlitico commendat, ad quod tamen utroque oculo reſpiciendum eſt. Non enim videmus, quomodo vel proprie vel improprie de abiete apte Deoque conuenienter dici queat, quod *humiliet* et *afflígat*, probe vero praedicari hac ratione poſſe putamus, ſi ipſum Hoſeam interpretem audire velimus, quod *exaudiat*. Noſter enim C. II. 21. 22. τὸ עָנָה in ſenſu *reſpondendi* et *exaudiendi* tribuit *frumento*, *oleo*, *muſto*, dicitque, quod illa debeant *Iſraëlitas exaudire*, nempe communicando ſe cum illis ad vitae ſuſtentationem quam largisſime. Parili modo etiam hic de Deo dicitur, ſub abietis virentis ſymbolo repraeſentato, quod is exaudire velit populum Iſraëliticum, ejusque votis annuere, per munificam largitionem omnium eorum, quae deſiderabat, et ad ipſius ſalutem pertinebat. Abietem enim, licet apud nos ſit arbor ſylveſtris, et in noſtris terris uſu et fru-

fructibus suis se non adeo commendet, in terra tamen benedicta, quae lacte et melle fluebat, non majoris praestantiae et fertilitatis fuisse, pro certo defendi nequit, cum inter עֲצֵי יְהוָה *arbores Dei*, referatur, et cum cedris Libani conjungatur a Davide, Ps. CIV. 11. Sed demus etiam, abietem in terra Cananaea non fructibus superbiisse egregiis, uti in nostris prouinciis, relinquitur tamen in ea excellens robur, conspicua proceritas, immarcescibilis viror, et gratissima umbra, ob quae haud incommode symbolum Dei fortissimi, altissimi, aeternum viuentis, et benignissimi exhibere potest. Ita vero se Deus populo Israëlitico demonstrando, et secundum haec attributa cum ipso agendo *exaudire* volebat eum, quin et *protegere*, ad instar abietis virentis. Pergit enim וְאָשׁוּרֶנִּי, circa quam vocem obseruandum, quod notet *canere*, *celebrare*, et etiam *cernere* seu *contemplari*. Prior significatus huc non quadrat, quamuis eum SYRVS, SEB. SCHMIDIVS, ZELTNERVS, elegerint; quia non tantum ille cum abiete virente non concordat, verum quoque vox שׁוּר in hac notione potius cum dativo quam cum accusativo personae construitur, et plerumque accusativum rei vel cantici comitem habet, uti apparet Exod. XV. 1. Ps. XXI. 14. Ps. XXXIII. 3. Ps. LIX. 17. Ps. LXXXIX. 2. Quare posterior notio locum inuenit, idque eo magis,

gis, quoniam de abiete, cum qua Deus hic se comparat, aliquo modo concipi et dici potest, quod hominem quasi contempletur et obseruet, dum illa ramos suos super ipsum, ut contemplans aliquem oculos suos super illum, eleuatos et extensos tenet iisque circumscribit velut et includit. Innuitur ergo hac voce paterna cura et protectio, qua Deus Israëlem resipiscentem complecti velit, ita, ut בְּסֵתֶר עֶלְיוֹן בְּצֵל שַׁדַּי *sub praesidio altissimi, & sub umbra omnipotentis* habitaturus sit, Ps. XCI. 1. Sicut enim in praecedente versiculo Deus praedixerat, alios sub umbra Israëlis requiem suam quaesituros et inuenturos esse: Ita quoque nunc promittit, ipsum Israëlem, ut prius illud בימות המשיח impleatur, sua sub umbra tanquam abietis virentis recreatum, sustentatum et protectum iri. Ex quo etiam dispalescit, affixum לִי non cum quibusdam ad Deum, sed ad populum Israëliticum referendum esse, quem ille tanta cura dignari animo constitutum habebat, et tanquam אֱלֹהֵי אֱמֶת *Deus veritatis*, Jes. LXV. 16. liberalissime hoc loco stipulabatur.

§. IX.

Nunc vero Deus elegantissima imagine utitur, qua se menti Israëlitarum poenitentium offert atque sistit,

ſtit, dum ſubjungit : אֲנִי כִּבְרוֹשׁ רַעֲנָן *Ego* ſcil. hoc faciam, exaudiam nempe et protegam Ephraim, qui ſum *tanquam abies virens*, ad quem modum haec cum prioribus verbis per accentuationem conjungenda ſunt, quoniam in his Sakephkaton, in illis vero Rhbia, ejus ſubdiſtinctiuus, comparet. Non autem poſſumus penetrare, quam ſibi hic fingit SEB. SCHMIDIVS, caeteris Interpretibus nihil ſubodorantibus aut monentibus, tropi duritiem, ſi Deus cum *abiete virente* conferatur. Cui enim non durum et indignum viſum fuit, ſe in hoc ipſo Hoſeae libro comparare cum *tinea* et *blatta*, c. V. 12., neque minus cum *leone*, *pardo*, ac *urſo*, c. XIII. 7. 8., ab illo etiam cur alienum ſit nulla ratio apparet, imaginem abietis virentis induere. Quin potius variae cauſſae poſſunt allegari, ob quas *abies virens* commode ſymbolum Dei eſſe queat, §. antecedente jam ſtrictim delineatas. Accedit vero, quod Deus ſe ſpeciatim aſſimilet *abieti virenti* in oppoſitione ad idola, quae non modo haud raro ex arborum truncis fabricata, ſecundum Jeſ. XLIV. 13. ſeqq. Jer. X. 3. ſqq. verum quoque ligna arida, omni ſucco et virore deſtituta, et fructibus ferendis nullo modo idonea erant, ut adeo neque homines poſſent exaudire, auribus quippe ornata, ſed non audientia,

Pſ. CXV. 6. neque protegere, cum potius, ut ipſa protegerentur ab aliorum injuria, opus haberent. Quo igitur Deus praerogatiuam prae idolis Iſraëli ob oculos et ponat viuis coloribus depingat, quantum illa diſtent ab ſua excellentisſima natura, ſimul vero populo huic nouas ſubdat faces, ad idolis valedicendum ſibique unice adhaerendum, hanc imaginem adhibet, ſeque abietis virentis ſimilem demonſtrat. Caeterum, quod vox בְּרוֹשׁ a quibusdam quoque per *pinum* reddatur, nos non adeo moratur, cum pinus et abies in multis conueniant, quamuis pinus non inepte per עַצֵּי שֶׁמֶן LUTHERO deſignari videatur Jeſ. XLI. 19. Qui vero per *cupreſſum* vertunt, cum alia plane vox apud Hebraeos hanc arborem denotet, cauſſam comminiſci non poſſumus, cur id faciant, eosque ſuo ſenſu abundare facile patimur. Quod ad adjectiuum רַעֲנָן ſpectat, alibi quoque tuetur hanc notationem, ut idem ſit ac *virens, viridis, frondens, recens*, prout videre eſt Deut. XII. 2. Jer. XVII. 8. Pſ. XXXVII. 35. XCII. 11.

§. X.

Reſtant adhuc ultima verba commatis noſtri, quae ita efferuntur: מִמֶּנִּי פִרְיְךָ נִמְצָא *ex me fructus tuus*

tuus inuentus est. Nexum horum verborum cum praecedentibus TARNOVIUS cum Rabbinis aliisque commentatoribus non male ita instituit; *Ne dicas, at abies est arbor infrugifera, licet sit arbor procera, ampla et opaca, subjicio, me tibi non itidem fore infrugiferum, quia ex me fructus tuus inuentus est*; ut adeo sic Deus ostendere velit, qua in re adhuc superet abietem virentem, nempe in fructuum procreatione, qua abies naturalis gloriari nequeat. Haec enim fructificatio, ut ita loquar, est, quam Deus postremo loco Israëli ad se conuerso promittit. Hinc מִמֶּנִּי non, ut SEB. SCHMIDIVS statuit, caussam materialem sed efficientem loquitur, et ad Deum respicit, quo procreante omnesque vires largiente Israël fructibus abundaturus erat. Sunt autem hi fructus πᾶσα δόσις ἀγαθὴ, καὶ πᾶν δώρημα τέλειον, τὸ ἄνωθεν ὂν καταβαῖνον ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων. Jac. I. 17 Cum enim hactenus populus Israëliticus in colendis idolis operam suam perdidisset, omnique fructu excidisset, ut diui Pauli verbis interrogandus esset: τίνα καρπὸν εἴχετε τότε, ἐφ' οἷς νῦν ἐπαισχύνεσθε; Rom. VI. 21. ille mutata nunc rerum facie aliam quoque sortem experturus, et in cultu diuino non incassum laboraturus, sed fructibus omnis generis beandus erat. Jam qui-

quidem hi fructus designant inprimis bona spiritualia, secundum explicationem Megalandri nostri b. LVTHERI, quae veram pœnitentiam per fidem, ceu ejus animam, sequuntur, et ideo Apostolo vocantur καρποὶ δικαιοσύνης καὶ πνέυματος sigillatim recensiti Gal. V. 22. Eph. V. 9. et in genere καρπὸς εἰς ἁγιασμὸν, cujus τέλος ἡ ζωὴ αἰώνιος, Rom. VI. 22., ubi ad pœnitentiam renovati, quemadmodum מֵחַיִל אֶל־חָיִל e *confortatione* coelesti *in confortationem*, Ps. LXXXIV. 8, ita e virtute in virtutem, procedunt, 2 Petr. I. 5. 7., dum altera alteram quasi parit et post se trahit, ad dictum fere R. Pinehae, filii Jairi, in *Schir Rabba* fol. 149. 3. quod ita habet: זריזות מביא לידי נקיות נקיות מביא לידי טהורה טהרה מביאה לידי קדושה קדושה מביאה לידי ענוה ענוה מביאה לידי יראת חטא יראת חטא מביאה לידי חסידות: Hoc est: *Alacritas (in exequendis praeceptis diuinis) perducit ad innocentiam, innocentia perducit ad munditiem, mundities perducit ad sanctimoniam, sanctimonia perducit ad humilitatem, humilitas perducit ad timorem peccati, timor peccati perducit ad pietatem.* Interea tamen bona et dona temporalia ac corporalia non penitus excluduntur, siquidem et his seriam poenitentiam remuneratur propitium Numen, Deut. XXX. 8. 9. Joël. II. 12. 13. 14. Omnium vero donorum bonorum et fructuum fons

et

et origo est Deus, a quo proueniunt, et in quo impetrantur. Quod reliquum est, legi in textu nostro פִּרְיְךָ *fructum tuum* in singulari, neminem mirari debet, cum collectiue sumatur pro omni fructu, cujuscunque sit generis, quemadmodum nec hoc, quod nunc pro tertia persona secunda adhibeatur, Deusque populum alloquatur, quandoquidem ejusmodi mutatio personarum in oraculis Prophetarum non infrequens est, obseruante ipso LVTHERO nostro l. c.; et luculentissimum exemplum in ipso Hoseae nostri vaticinio c. II. 6. extat, sed neque sua ἐμφάσει carens, dum Deus hoc ipso innuit, se, qui hactenus mentem suam beneuolam erga Ephraimum, si poenitentiam ἀνυπόκριτον acturus sit, aliis quasi adstantibus, declarauerit, eidem nunc propiorem fieri, et ad testandum amorem suum plane singularem ipsi verba facere, suamque gratiam polliceri. Quod autem attinet denique ad verbum נִמְצָא *inuenitur*, aut *inuentus est*, idem hoc valet ac *est* et *existit*, ut alibi, *non inuentus est in ejus ore dolus*, hoc est, *non fuit*, Mich. I. 13. Soph. III. 13. Mal. II. 6., siue de praesenti, siue de futuro illud explicare velis.

§. XI.

Paraphrasis dicti et clausula.

Et ex hac dicti nostri Prophetici ἐξεργασίᾳ sequens

sequens emergit ejus παρεάφρασις: *Ephraim, seu populus Israëliticus, nefariis peccatis et praecipue detestabili idololatriae hactenus deditus, dicat animo sincero et poenitente: Quid mihi amplius commercii sit cum idolis, a quibus nullum commodum, sed potius mille incommoda, labores et dolores sensi? Tunc ego exaudiam eum, largiendo, quae petit et opus habet, et protegam eum umbra specialis providentiae meae, ego, qui sum instar abietis virentis, immo in quo eam longe supero, maxime frugiferae, siquidem ex me omnis fructus, omne bonum tuum, sive sit spirituale sive temporale, ô Ephraim, (ad te enim amoris mei propinquioris quam antea testandi gratia nunc conuertor,) ortum trahit et existit.* Plura addere nolumus, id quippe non agentes, ut in magnam molem excrescat labor, sed, quod veteres monuerunt, ad animum reuocantes: Οὐκ ἐν τῷ μεγάλῳ τὸ ἓυ, ἀλλ' ἐν τῷ ἓυ τὸ μέγα.

S. D. G.

):(o):(

ΕΠΙΜΕΤΡΑ.

Hieroglyphica literarum Hebraicarum ſignificatio nullum certum praebere videtur ſcripturam V. T. interpretandi fundamentum.

Tribus Iſraëliticas dialectis a ſe inuicem diſcrepaſſe, ex Ephraimitarum pronunciatione τȣ̃ ש Jud. XII. 6. haud obſcure apparet.

Atheos idololatris meliores ſunt eſſe, minus recte ſtatuunt *Plutarchus*, *Bailius*, alii.

Criterium veritatis, etiam in rebus moralibus, non in affectu, ſenſu vel guſtu rerum, adeoque in voluntate, ſed in intellectu quaerendum eſt.

Uſurae juri naturae non aduerſantur.

Errata extantiora.

Pag. 2. lin. 12. pro 2. lege 1. p. 6. lin. 12. pro יֵימְוּךְ lege יֵימְרוּן lin. 13. pro עוֹךְ lege עוֹד p. 11. lin. 19. pro שׁוּר lege שׁוּר p. 10. lin. 10. pro כ״ר lege כ״ז pro מ״ר lege ט״ר pag. 11. lin. 1. pro LVIII. lege LVII. p. 18. lin. 23. pro *imputate* lege *impietate* p. 23. lin. 6. pro *dolentientibus* lege *dolentibus* p. 24. lin. 23. pro *pertinebat* lege *pertinebant*. Caetera beneuolus Lector ipſe obſeruabit et corriget.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-242569-p0037-4

Ung. VI 28

= [Dissertationes theol.
Vol. 7 2.]

ULB Halle
001 831 976
3

KD17=00

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-242569-p0040-9

ברוש רענן

H. E.

ABIES VIRENS
SYMBOLVM DEI

HOS. XIV. 9.

CONSENSV AMPLISSIMI
PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN ACADEMIA LIPSIENSI
PVBLICA DISSERTATIONE
H. L. Q. C.
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
PROPOSITA
PRAESIDE
M. SIGISM. ANDREA Flachß
S. TH. BACCAL. ET FAC. PHILOS. ASSESSORE
ET
RESPONDENTE
CHRIST. ERNESTO FRIDER. MVLLERO
HILDBVRGHVSA-FRANCO.

D. XX. JAN. MDCCXXXI.

LIPSIAE, LITERIS SCHEDIANIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-242569-p0041-5